



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiae Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

Generosissimo Ac Nobilissimo Heroi, Domino Des Hayes, De Cormemin Et
Cortoin In Vtroqve Exedrio Regi A Consiliis, Regio Triclinio Præposito,
Montargiensi, & Giennensi Gubernatori, Lvdovicvs Prost ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)



GENEROSISSIMO
AC NOBILISSIMO
HEROI,

DOMINO DES HAYES,
DE CORMEMIN ET
CORTOIN IN VTROQUE
EXEDRIO REGIA CONSILII,
REGIO TRICLINIO PRÆPOSITO,
Montargienfi, & Giennensi
Gubernatori,

LVDOVICVS PROST *Hares Rouille, S. P. D.*

DIVINI rebus diuina patrocina quærentur, GVBERNATOR GENEROSISSIME, quia quod tam excelso in loco situm est, vt cum immortalitate certet, id humana aspernatur & quodammodo euitat præsidia. Diuinum est monumentum istud Sacratioris doctrinæ, & cæteris coelestis huius Amalthij Hermathenis diuinius, cum ipsum Immortalem Deum æterno sibi supparium, quæ vocant, attributorum comitatu circumseptum proferat. Huic monumento ingenij Theologici ipse monumenti opifex Molina numen asciuit patrum, arbitrum, munerarium, vt quo utebatur totius operis atque industriæ quasi campo, quemque describebat magnis laboribus, huic eisdem labores inscriberet: Ego qui hîc meæ, quantum res patitur mea, aliquid opellæ esse volui, ita coeliclementiam esse mihi expetendam auguratus sum, vt attenderem in probitate soli plurimum momenti collocari oportere: Ita sperandum de solo, vt probè intelligerem primas quasi fruges in manu eius viri esse deponendas, cui & deberentur à colono, & deberent ipsæ id vbertatis quod pollicerentur. Cecidit commodissimè ne quando res diuinissimas, atque adeo in ipso apice diuinitatis constitutas proferrem in medium, aliud præsidium vel auspiciam optarem quàm diuinum, aut proximum diuino. Deo enim Opt. Max. prognati olim putabantur, qui ad res magnas, hoc est, si rectè interpretamur, diuinas nati atque instituti essent, cum iis adolescerent, viuerent, vitam ponerent, æternum versarentur. Sensi gratificatos mihi esse Coelites, & Coelitem parentem, à quibus profectum esse ar-

bitror, vt tibi (GVBERNATOR AMPEISSIME,) plurimum deberem, & debere delectarer. In quo me astrictius teneri video, cum & debeam quod prestare haudquaquam possum, & capiam voluptatem in debendo non mediocre. Quare infortunatius prope nihil mihi accidat, quam si videar velle me exoluere. Placet in tuis nominibus numerari, placet noua contrahere, placet ex ære tuo non eximi, placet id contestari, quia dum aliquo per te beneficio significo me ornatum, video mihi laborandum non esse, quod alij inpositum sibi rentur, vt referatur gratia, vt refloreat, vt redeat quanta quanta oblata & perlata est, cum ego contrarium iudicare cogar tua summa beneuolentia, qui sciam ornamenta ad me ex te ea proficisci, quæ non modo integra ad te nequeant, sed ne mutila quidē, atque elumbia audeāt redire. Ita enim hic comparatum est, quod aliunde abest longissimè, vt ipso reditu augetur beneficia, & ipso meritorum, opinor, tuorum quasi cumulo & globo opprimantur. Quo loco mihi velificatum aliquod numen præterea esse sentio, quod cum me obrutum stupere & faterer, idque tibi ego exploratum, omnibus verò promptum & peruagatum esse cuperem; nanciscerem alienum aliquid potius, quam meum, quo id perficerem. Quando enim Theologicis de Deo Opt. Max. disceptationibus tuum nomen inscribo, & præfero, appellam certè, vt dixi, meam aliquam quidem, Ingenij verò celeberrimi, sed planè non mei monumētum & decus, postremò auspiorum tuorum auctoritatem & robur conscisco. Ita è toto vix aliquantulam ego particulam inuenio, quæ in meis reponenda sit; Imo è meis eximi illam necesse est, quæ vt mea esset, à te accepit, nec nisi fuisset aliquando tua, mea vnquam esse potuisset.

AVTOR